



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Summula Casuum Conscientiæ

In Qva Agitur De Præceptis Ecclesiæ, De Officio Confessarii, Ac De
Censuris

Petrus <a Sancto Josepho>

Coloniæ Agrippinæ, 1652

Articulus VIII. De cessatione à Diuinis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41572

ARTICVLVS VIII.

De cessatione à diuinis.

Cessatio à diuinis est simplex prohibitio, qua ministri Ecclesiae prohibentur persolvere diuina officia, ministrare sacramenta, & sepelire laicos in loco sacro.

Non incurritur à iure, ipso facto, sicut interdictum, sed tantum comminatorie fertur. Et eam violans non incurrit irregularitatem, sicut incurrit violans interdictum, esto grauius peccet.

Non licet tempore cessationis specialis, officia diuina publice recitare, aut Missam celebrare. Nec tempore cessationis generalis, etiam in iis festiuitatibus quibus tempore interdicti generalis id licet.

Licet tamen tunc semel in hebdomada, celebrare sacrum cum vno ministro, ad renouandam Eucharistiam, propter infirmos, ne species putrefiant.

Tempore cessationis, possunt administrari in periculo mortis, Sacramenta Baptismi, Confirmationis. Pœnitentiæ, & Eucharistiæ. Imò, ex multorum sententia, pœnitentia extra periculum mortis.

Non tamen licet administrare Ordinem, vel Extremam vnctionem. Probabilius etiam videtur, seclusa consuetudine, tempore cessationis nuptias non esse celebrandas.

Probabile est tempore cessationis, posse in loco sacro sepeliri non modò clericos, sed etiam laicos, sine diuinis officiis.